

voluntatum, et virium perseveret, et ipsa sint principia; agent inter se discordia, discordes effectus singula; singulum, et sibi proprium aliquod ens; vel singula efficient entia plura: vel singula efficient entia omnia. Si hoc tertium dicamus, in infinitum abierimus: et illud infinities infinitum, iterum recurret. Si secundum, quo singula principia, plura etiam efficiant, modus est dicendus, quo, hoc principium hæc entia, illud alia illa efficit, iuxta ne cuiusque proprietates? An aliter? At proprietas principiorum horum, una omnium est, quia omnia, multa tantum sunt et si aliquo inter se differunt, suo proprio, ab alio diverso different. Non ergo multa tantum sunt. Alioqui et entia a singulis producta, multa tantum essent. Atque ita infinitates illæ minores, maioresque interum redibunt. Necesse enim est, productum, productoris ferre similitudinem. De tribus, primum forte verum erit, singula principia, unum ens tantum producere, et non plura, unde entium, sicuti et principiorum diversitas servabitur. Quod quomodo verum sit: et quo modo falsum sit, multa esse prima principia, suo loco declarabitur, hoc tantum hic innuendo, principia hæc omnia, ad unum primum omnium reduci.

Si vero multa sint principia, unum participantia; unum inter ipsa erit ordinatum. Oportet autem ubique id quod participat, inferius esse participato, et id quod ordinat, antiquius eo, quod ordinatur. Ergo unum antiquius est ipsis, et potentius, quia vim habet, ea in ordinem agendi. Ergo hoc unum ea cogens, erit principium: quia ante est, et primum, et non ipsa multa quæ sunt posteriora.

Tertio, si unum sit principium, in se tamen multiplicatum, unum erit, et non unum. At oportet in omni genere principium esse purum, et cum aliis non mistum, ut ab eo fieri possit mistum. Et quia primum sit, etiam sit supremum, et non per contrarii admistionem, remissionem patiat, et summitatem perdat. Cum ergo ex ante posita divisione, principium nec multa tantum sit: nec multa uno participantia; nec unum multiplicatum, relinquetur necessario, ut unum quod unum tantum sit, primum sit principium. Non ergo plura sunt rerum principia prima.

*FINIS TERTII LIBRI.*